

# Dispvatio II. De philosophia in genere, quae est de arte eiusq natura, cui...

Savonius, Michael

*11 Ba 4:o Zethraeus*



National Library  
of Sweden


ZETHRAEUS, G. M.

Disp.

F. d. So

Dorpat





-DISPVATIO II.  
DE PHILOSOPHIA IN GENERE

*Qua est de*

ARTE,

Eiusq; natura, cui analogustratus est Peripateticorum de quinq; habitibus intellectualibus ex 6. Ethicorum desumptus, quem Alstedius sub titulo de Hexilogia persequitur,

*Quam Auspicante Deo in Academia Regia  
Dorpatensi Gubernacula tenente*

M. MICHAËLE JOHAN. SAVONIO  
Logices & Ethices Professore publico ordinario & extraordinario.

*Publicè ventilandam proponit*

GEORGIUS M. ZETHRÆVS  
*Schiedrimontanus S.*

In auditorio majori ad 1. Decembris horis  
matutinis consuetis.

*Quod paucis fieri potest, non opus est pluribus.*



DORPATI LIVONVM,  
Excudebat JACOBUS PISTORIUS,  
Anno M. DC. XXXII.





*In Christo admodum Reverendo Patri,*  
Dn. JOHANNI RVDBECKIO, Do-  
ctori S.S. Theologiæ & Episcopo Arosiensi, ut  
dignissimo ita vigilantissimo, Evergetæ ac Patrono  
meo colendissimo.

NEC NON

- M. ELIÆ OLAI Ecclesia Cathed. Arosi-  
ensis Pastori & districtus Præposito.  
M. SAMVELI M.P. Tunensis Ecclesiæ & P.  
Cuprimontano.  
M. ERICO HOL. Eccles. Schiedvimont. Past.  
M. MAGNO O. Pastori Eccl. Fernebo occiden.  
M. LAURENTIO BLACKST Pa-  
stori Cuprimont.  
M. AND. ERICI DALKARL. P.  
& P. Hedhemorensi.  
M. IONÆ COLVMBO Ecclesiæ Husby-  
ensis apud Cup. P.  
M. PETRO JONÆ HELS. P. Ecclesiæ  
quæ est Moræ.  
M. GABRIELI HOL. Lectori SS. Theo-  
logiæ in Gymnasio Aros.  
M. SIMONI B. ARB. ejusd. Gymnas. Rectori  
M. JACOBO GVTHERO Scholæ Aros. Rect.  
M. MATTHIÆ AND. ALS; ejusdem  
Scholæ Conrectori.

Viris respectivè:  
Reverendis, Cla-  
rissimis, Doctissi-  
mis, Vigilantissi-  
mis, Impigerrimis.  
Mecænatibus, Pro-  
motoribus & olim  
Præceptorib9 me-  
is, jam vero pa-  
rentum locò sum-  
ma observantia  
colendis.

Disputationem hanc Philosophicam, in studiorum testifica-  
tionem ac grati animi signum dedica, & summa cum  
observantia offero Georgius Zethraui Resp.





## THESIS I.

**D**isputatione prima de Philosophia in genere, enodavimus veram ejus definitionem, jam quia singulas artes ibi diximus esse partes Philosophiæ, aliquid in genere de arte, ejusq; vera definitione indagandum.

### II.

Sufficit enim hic in genere & semel tradere de arte, ne eandem Cramben sæpius, & in singulis disciplinis re-coquere cogamur. Nam omnes disciplinæ Philosophicæ artes sunt & dicuntur, aut certè esse & dici deberent. Quia præcepta in illis homogenea & Catholica metho-diceq; disposita & coordinata requirimus.

### III.

Dixi, aut certè esse & dici deberent. Quia licet disci-plinæ Philosophicæ sua naturâ & de jure sint artes, tamen qui accuratius, perpenderit eas, quatenus de factò à ple-risq; descriptæ sunt, videbit eas, à definitione & accurata artis natura multum discrepare. Quia de præceptis, ut & legitima coordinatione & methodo earum adhuc sub-judice lis est.

### IV.

Antequam ergo ad artium distributionem progredi-amur, necesse est, ut naturam earum (quippe quæ mem-bra sunt & artus totius quasi corporis ἐγκυκλοπαιδείας, quâ σοφίαι ἢ φιλοσοφίαι nuncupamus) in genere rimemur, ut

sic tandem distinctè per partes Philosophiam suo tempore & loco cognoscamus.

V.

Ut autem ea melius intelligi possit, diligentissimè inventio & constitutio earundem venit perpendenda; Quod fiet si definitionem artis generalem, deinde principia illarum tam essendi quam cognoscendi consideraverimus. De illa hac disputatione, de istis verò agemus in sequenti.

VI.

Ars definitur à Luciano & Quintil. lib. 2. c. 19. instit. Orat. hoc modo: Τέχνη δὲ σύστημα ἐγκαταλήψεων ἐγγέγνωτασμένων πρὸς τὸ τέλος εὐχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ, h. e. ars est comprehensio, aut compages præceptorum, exercitatione cognitorum ad finem utilem in vita.

VII.

Donamus in Prolegomenis definit brevissimè hoc modo: Ars est variorum præceptorum Methodus βιωφελῆς i. e. Ordinata quædam & Methodica præceptorum comprehensio, quæ ad utilem aliquem in vita finem refertur.

IIII.

Quæ definitiones licet sint veritati proximæ, tamen quia prior illa modum & rationem constituendarum & inveniendarum; posterior vero etiam simul causam finalem artium (relictis quoque legibus præceptorum) immiscet, quæ tamen essentiam rei non ingrediuntur: ideo ex præceptis Rami, tradimus hanc, quæ ex solis causis essentiam constituentibus quales genere & forma comprehenduntur, existit: Ars est systema præceptorum perpetuo verorum, Homogeneorum & Catholicorum, Methodicè à generalissimè per subalterna ad specialissima usque dispositorum.

9. Pe.

Vide Ram.  
lib. 1. c. 30.

## IX.

Peripatetici exosculantur definitionem Arist. lib. 6. Eth. Nicomach. c. 4. traditam, ubi definitur, quod sit habitus cum recta ratione operis effectivus. Quæ definitio neq; in genere neq; differentia specifica convenit cum definitione superius à nobis tradita.

## X.

Ideo antequam ad confirmationem & illustrationem generis & formæ quæ in nostra ponuntur definitione, perveniamus, dicimus prædictam definitionem Arist. aut certè tantum competere artibus Mechanicis & illiberalibus, quæ magis opere tractantur, quam præceptis instituuntur, opusq; aliquod materiale in sensus incurrens post se relinquunt: aut si extendatur etiam ad liberales, ita ut obtrudatur per definitionem generali & indifferenti liberalium & illiberalium artium, fieri id nimis improprie κατὰ γενικῶς & tropicè per Meton. causæ per effecto. Siquidem ars non est proprie habitus, sed causâ efficiens, & producens habitum in animo.

## XI.

Quin imò ipsi Peripatetici, qui definitionem illam ejusq; verū sensum assequuntur & amplectuntur, dicunt non dari aliquam artem liberalem, exceptâ unica & sola medicinâ, idque ex hac ratione, quia nulla ex iis opus aliquod post se relinquit, id quod Arist. in dicta definitione formæ loco ponit & maxime requirit. Et licet vulgo septem artes liberales numerentur, id tamen ajunt, fieri κατὰ γενικῶς & in erudito examine minimè probari, quippe in quo nulla forsan liberalis ars concedatur (verba sunt D. J. M.) præter unicam medicinam, quæ sanitatem post se relinquit.

## XII.

Et quod Arist. dicto loco definiat, artem quatenus convenit illiteralibus & Mechanicis, ostendit exemplum unicum pro pluribus ab eodem allegatum quod est ab arte ædificatoria sumptum. Nam ἡ οἰκοδομητή est ars, cum certa ratione domum efficiens. Eodem modo de cæteris dicere possumus exempli gratia. Textoria est ars cum certa ratione pannum efficiens; Sutoria est ars cum certa ratione calceum efficiens; libraria est ars cum certa ratione librum efficiens, & sic de cæteris, ut loquitur Magirus in Corona virtutum, ad cap. 4. lib. 6. Eth,

## XIII.

Et quia tales habitus Mechanici perficiunt hominem non tam in ordine ad animam, quam ad corpus hominis, inferunt quoq; frequentèr facilitatem in corpore, secundū quam apti sunt homines, eum habitum exercere. Ideoq; de censu Philosophiæ excluduntur, ubi de perfectione animæ rationalis agitur. Scheibl. in tractatu generali de Philosophia.

## XIV.

Hinc sicut in disp. 1. diximus sapientiæ vocem tribui Mechanicis, non propriè & κατ' ἐξοχήν, sed per analogiam & similitudinem quandam, Sic artis vox per analogiam tribuitur Mechanicis habitibus. Quia sunt similes artibus veris, veriusq; opificia dicuntur quia opere ipso externo magis tractantur, quam præceptis instituntur ut diximus thesi 10. & ipsi qui exercent eas opifices non artifices, Handwerkerseute.

## XV.

Quod autem Arist. habitus istos Mechanicos, inter intellectuales numerat, hoc ideo fit, quia ad has quoq; exercendas, intellectu & ratione opus est. Neq; ideo dicun- arte

dicuntur manuarum quasi sint in manu & potentia motiva manus; sed quia habitus illi in mente existentes exercentur manibus. Et alioquin habitus præsupponunt rationem & intellectum, ideoque brutis, quæ ratione carent non conveniunt, licet aliquæ virtutes per similitudinem & Metaphoram iis tribuantur, quia virtutum umbras imagines & vestigia habent.

XVI.

Hinc Arist. lib. 8. de Hist. animalium c. 1. ait: In iumentis & feris inveniri morales virtutes & vitia, quatenus in eis insunt vestigia morum hominis, & pro exemplo istarum umbratiliū virtutum, inest, inquit eis urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignavia, metus, &c. Atque etiam prudentiæ imago inest multis. Et postea; ut in homine est ars (intellige habitus arte productus) sapientia & prudentia, sic in nonnullis brutis est vis quædam ejusmodi altera naturalis. Constat hoc ita esse planè, argumento puerilis ætatis, in qua futurorum habituum quasi semina & vestigia videris: & tamen nihil per id tempus animam hominis à brutorum anima differre propè dixerim, Hæc ille.

XVII.

Neque etiam appetitui sensitivo, quatenus cum brutis communis est, sed quatenus subest rationi, & sic per obedientiam ad mentem *ἔλλογος* est & rationalis, habitus conveniunt. Eatenus enim is solum est capax habituum, in quantum per rationem dirigitur, inquit Scheib. lib. 2. Metaph. cap. de habitu.

XVIII.

Jam ut de genere agamus, facimus hic ut in tota definitione, sic in ratione generis divortium à Peripateticis. Nos enim systema sive comprehensionem præceptorum

ptorum vel axiomatum didascaliorum, illi habitum,  
loco latoris nostræ essentialis ponunt,

XIX.

Peripatetici suam opinionem mordicus tueri conantur, confirmando quatuor potissimum rationibus, quas producit Slutherus in  $\pi$ . ad Logic. Ex quibus 1. est, quod ars non possit esse in alia specie prædicamenti qualitatis, quam in prima, id quod per aliarum trium specierum remotionem nituntur probare hoc modo: Ars aut est in quarta, aut in tertia, aut in secunda, aut in prima specie qualitatis. Jam subsumunt: At non est in quarta, quia non inest menti propter quantitatem ratione corporis; Neq; in tertia, quia non est repentinus quidam affectus &  $\pi\alpha\delta\theta$ : neq; in secunda cum non insit naturâ tanquã potentia naturalis. E. relinquitur, inquit, quod sit in prima. Atq; non est dispositio, quia hæc tantum via est ad consequendam artem. E. est habitus.

XX.

Sed respondemus, concedendo artem esse accidens & quidem in prædicamento qualitatis, quod ultrò largimur & ipsi asserimus. Verum quod debeat esse in prima specie, hoc vero est hoc, quod negamus, & dicimus esse in tertia specie.

XXI.

Siquidem Qualitas patibilis duplex est: Activa & passiva. Hæc est, quæ ex affectione &  $\acute{\iota}\nu\epsilon\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha$  illius existit. Hinc dicitur qualitas patibilis affecta, item  $\pi\alpha\delta\theta$  passivo sive ea quæ ratione subjecti est, quod ab ea patitur. Sicut homo tanquam subjectum patitur ab ira & aliis perturbationibus. Et hæc quæ propriè passio dicitur, duplex est, vel diu permanens ut: odium; vel subito transiens ut: ira.

XXII, Illa

## XXII.

Illa vero activa est, quæ in facultate percipiente passionem efficit, ut: Lux, color &c. Dicitur *ἐνεργητικὴ* afficiens, quia in facultate percipiente passionem aliquam efficiat, ut loquitur Dithmarsus.

## XXIII.

Jam ars rectissimè ad hanc tertiam refertur speciem, & quidem ad qualitatem patibilem Activam, sive eam, quæ ita dicitur ratione effecti. Siquidem ars afficit intellectum præceptis suis, quando docet, & ita animam doctrina imbuat. E contra intellectus à suo objecto vel subjecto occupante nimirum arte (cujus hoc respectu adjunctum est occupatum) ejusq; didascalicis præceptis, ut sensus à sensili, afficitur, donec habitus, si diligens accedat exercitium, in animo ingeneretur.

## XXIV.

Hinc doctissimus Scaliger Exercit. 307. sect. 16. Postremo, inquit, quod non fiat id quod intelligit ipse intellectus, etiam illa convincam ratione: Scienti habitus est ab ipsis præceptis vel propositionibus, cum sit in prima specie qualitatis, effectus ab ipsa specie tanquam à causa efficiente. Non erit habitus idem cum specie delata, quæ est similitudo in tertio cap. qualitatis ut color. Hæc Scalig.

## XXV.

Quod vero dicunt Artem non posse esse in hac tertia specie, quia ea sit affectus repentinus. Respondemus, nos jam distinxisse qualitatem patibilem in Activam & passivam. Et hanc quæ & passio dicitur, esse duplicem, vel repentinum affectum & subito transeuntem, vel diu permanentem. Ars vero non est qualitas patibilis passiva, multo minus repentinus affectus & subito transiens; sed est qualitas *ἐνεργητικὴ* & activa.

## XXVI.

2. Argumentum Peripateticorum, quo conantur probare artem esse habitum: Quicquid usu, crebraq; exercitatione acquiritur est habitus. Ars usu, crebraq; exercitatione acquiritur. E. est habitus. Respondemus negando assumptionem, quæ manifestè falsa est. Distinguendum omninò est inter artem & artis perfectam cognitionem, Hac enim nò vero illa usu & crebra exercitatione acquiritur & comparatur. Et hanc cognitionem, quando perfecta est, non negamus esse habitum, siue de induratione objectorum sit scientia de rebus necessariis, vel prudentia de rebus contingentibus, siue sapientia, quæ est habitus ex principiis & conclusionibus tam speculativis quam practicis constans, agitq; de necessariis & contingentibus, utpote tota Philosophia, & non falsò dicta Metaphisica sola.

## XXVII.

3. Argumentum: Qualitas quæ haud facilè amittitur est habitus. Sed ars est talis qualitas. E. est habitus. Resp. esse Elenchum adjunctorum. Nam hoc adjunctum esse qualitatem *δυσκλινητὸν* est commune habitui & arti. Non ergo illi soli tanquam proprium adscribi debet. Imo fit plerumq; , ut habitus citius amittatur ex animo, quàm ars aut doctrina præceptorum, ut in Mathesi experimur, cujus præcepta firmiter inhærent intellectui, etiam amisso aut saltem ad imperfectionem redacto ipso habitu.

## XXIIX.

4. Argumentum tale est: ad cujus constitutionem aliorum institutione opus est, illud est habitus. Ad artis constitutionem aliorum institutione opus est. E. ars est habitus. Resp. Confundi hîc causam cum suo effecto. 2. Deinde est fallacia adjunctorum ut in argumento priore. Non

Non enim tam ad artis, quam habitus ab arte provenien-  
tis consecutionem aliorum institutione opus est. Ut igitur  
gignatur in discente habitus, opus est quidem insti-  
tutione, natura, doctrina sive arte & exercitatione, Sed  
quis propterea artem affirmet esse habitum, qui tan-  
quam effectus ab illo quasi causa dependet,

XXIX.

Adde: Si ars est habitus, aut est habitus naturalis aut ar-  
tificialis: Non naturalis, quia ita habitus artis à natura es-  
set, quod absurdum, & contra ipsum Arist. qui lib. 2. Eth.  
c. 1. inquit: Perspicuum est, nullam virtutem moralem  
instam nobis esse à natura. E. est artificialis. Et quia ar-  
tificialis ab arte est habitus. Et per consequens aliud est  
ars, quæ habitum produxit, aliud ipse habitus ab arte  
productus.

XXX.

*Specie* Et observa diligenter respectus hosce diversos.  
Ars enim rerum librorum & chartarum, in quibus  
præcepta exarata continentur est adjunctum; respectu  
vero intellectus est subjectum occupans; intellectus ve-  
ro adjunctum occupatum. Respectu vero habitus ars est  
causa, habitus effectum. Et quidem ars est causa effici-  
ens quatenus habitum per diligens exercitium producit.  
Finalis vero est, quatenus ars discitur ea fine ut habitus  
acquiratur. Sic intellectus est subjectum scintillarum  
ex imagine Dei reliquarum. Hæ vicissim causæ artium,  
& ars causa habitus in anima, & vicissim anima cum suis  
potentiis subjectum illius habitus.

XXXI.

Quod vero additur in definitione Aristotelica loco  
formæ,

formæ, quod fit habitus operis effectivus. Hic nimis  
sudant quidam Peripatetici, ut hæc vera detorqueant, ne  
cogantur hanc definitionem solis Mechanicis assignare,  
quæ opus in sensus incurrens & materiale potest se re-  
linquunt, sed etiam liberalibus utpote, Logicæ, Medi-  
cinæ & aliis. Dicunt enim perinde esse, sive ars relin-  
quat opus aliquod Materiale, quod Architectonia, ædi-  
ficatoria &c. sive immateriale id quod liberalis faci-  
unt artes. Et ut Scheib. loquitur de genere Log: Opus  
materiale & immateriale producere, ad species & diffe-  
rentias artium, non ad genus pertinere.

XXXII.

Sed ut habitus non est verum genus artis ita neq; hæc  
forma sive differentia specifica. Quia artes Mechanicæ  
per analogiam & similitudinem quandam artes dicun-  
tur, ut supra in thesi 14, diximus. Quin opus mate-  
riale quod Mechanici & opifices edunt, non opponitur  
immateriale quod artes liberales producere dicuntur,  
tanquam species univoca, sed tanquam analogæ. Illud  
enim propriè opus vocatur & in sensus incurrit, hoc tan-  
tum per similitudinem.

XXXIII.

Ex quo jam cuivis ad oculum patet, Arist: non defi-  
nere ibi artem propriè licet id intenderit, sed Tropicè  
effectum artis pro ipsa arte substituendo. q. d. habitus  
artis vel artificiosus est habitus cum recta ratione operis  
effectivus.

XXXIV.

Quod vero quidam Peripateticorum licet dubitan-  
ter dicant nullam dari Artem libralem excepta forsân  
Medicina, quippe quæ opus poscit se. N. sanitatem, re-  
linquat. Respondeo, ut juris prudentia non est ars,  
quia versatur circa singularia quæ sunt vaga & incerta,  
quæ-

quæq; ars utpote, quæ circa universalia tam genera-  
quam species occupata est non curat, ita quoq; Medici-  
na. Siquidem par omnino est ratio, licet vulgò latè at-  
que impropiè sumpto vocabulo tam Medicina quam  
juris scientia artes vocentur, quæ quandam similitudi-  
nem habent cum artibus ex iisq; originem trahunt, si-  
quidem jurisprudentia est particula Ethicæ. Medicina  
vero ex Physica dependet. Hinc forma artis est dispo-  
sitiō Methodica, à generalissimis per subalterna non  
ultra specialissima id est, individua descendens, ad quæ  
non digreditur, Relinquit enim illa partim facultati-  
bus Jurisprudentiæ & Medicinæ partim etiam Mecha-  
nicis.

XXXV.

Jam ut nostram definitionem explicemus, dicimus  
artem esse comprehensionem præceptorum, perpetuò  
verorum, Homogeneorum & Catholicorum. Hæc ver-  
ba omnia locò generis posita sunt in hac definitione.  
Jam ut genus est Symbolum causæ materialis, sic præce-  
pta sunt Materia artium, quæ certis quibusdam notis &  
signis prædita esse debent, quæ ob id etiam architecto-  
nicæ & artium & documentorum leges in artibus di-  
cuntur.

XXXVI.

Nam ut Homogenea est duplex, Axiomatica, quæ est  
subjecti cū prædicato essentialis coherentia, de qua agi-  
tur in axiomatice doctrina. Altera verò Methodica, quæ  
est essentialis nexus præcepti cū præcepto. Sic etiam uni-  
versalitas & reciprocatio alia est axiomatice, inter termi-  
nos & partes axiomatis. Alia vero Methodica, quæ est U-  
niversalitas totius disciplinæ & artis ejusq; reciprocatio

& adæquatio ad suum subjectum adæquatum & universalem finem. Ubi enim est adæquatio ibi est reciprocatio, ubi est reciprocatio ibi universalitas. Præcepta enim artis sunt quasi lineæ quæ à subjecto tanquam centro ad finem artis universalem quasi Peripheriam sive circulum ducuntur. Hinc neq; plura aut pauciora esse debent, quam adæquatus artis finis postulat.

XXXVII.

Prima lex *κτ̄ παντός* quando prædicatum omni subjecto & semper inest, requirit universalem, perpetuam, atq; affirmatâ præcepti veritatem, ita ut consequens necessariò & affirmatè *κτ̄ παντός ἡγεμένως* prædicetur. Siquidè illa documèta particularia, & quæ cõtingenter vera sunt ars respuit. Deinde negatio non docet veritatem & scientiam, sed dedocet potius errorem & inscientiam, & alioquin est *ἀόριστος* ut Arist. ait, nihil certi aut proprii docens, ut si definirem Dialecticam non esse artem bonè dicendi, non magis docerem, quid Dialectica sit, quam quod cæteræ quævis artes, quibus æquè omnibus (si ab una Reth. discesseris) hæc definitio competit, ut inquit Dounamus in *περὶ λεγόμενοις* ad Log. Rami.

XXXIIX.

Secunda lex *κατ' αὐτὸ* postulat, ut consequens & prædicatum conveniat antecedenti vel subjecto essentialiter, & necessario sive quando partes axiomatis inter se sunt essentielles, idq; vel à priori quod primariū vel à posteriori, quod secundariū dicitur. In illo prædicatū est essentialiter subjecto à priori, ita ut essentiam subjecti constituat; in isto vero prædicatum fluit immediate ex subjecti essentia. Et talia præcepta sunt meræ definitiones, distributiones & proprietatum explicationes (exemplamq; tantum declarant; Transitiones, si longior inter

eas interfit, explicatio colligant & vinciant) Definitio enim definito, partes toti, adjunctum proprium suo sub-  
jecto per se & reciproce competere debent.

XXXIX.

Tertia lex καθ' ὅλας πρώτων exigit reciprocationem & æ-  
qualem latitudinem prædicati cum subjecto, ut ita ter-  
mini invicem recommeent, ne plus vel minus prædice-  
tur de Antecedente quam justum & ei inest. Hac enim  
ratione omnis Tautologia vitatur.

XL.

Et hæc artium leges sufficiunt, ita ut nec paucioribus  
perficiantur, neq; pluribus opus sit. Prima enim Ante-  
cedens præcepti vel axiomatis determinat, requirens  
universalem & affirmatam veritatem; Hinc lex veritatis  
dicitur, quia universalem, necessariam, perpetuam, æter-  
nam & immutabilem requirit veritatem.

XLI.

Et est κατὰ παντός tam ratione subjecti quod ei compe-  
tit κατὰ ἑσώ ad intra, quando prædicatum omnibus subje-  
ctis, & omnibus sub subjecto comprehensis, ut homo est  
rationalis, quia rationale omnibus hominibus & omni-  
bus individuis hominum competit: Quam ratione præ-  
dicati, quod requisitum est κατὰ ἕξω, quando prædicatū tri-  
buitur omni subjecto, absq; ulla exceptione loci & tem-  
poris, ut: Homo est animal, semper verum est ab initio  
mundi, in medio & fine mundi, in hac vita & post hanc  
vitam.

XLII.

Secunda lex describit consequens, nempe ut illud  
sit essentielle subjecto vel à priori, vel à posteriori, lex ju-  
sticiæ dicta. Tertia sapientiæ lex in se reciprocationem  
continens, ut consequens neq; latius neq; angustius sit  
subjecto, ut non excludantur includenda neq; includan-  
tur excludenda.

XLIII.

Differentia deniq; additur definitionis Rameæ hæc: Methodicè à generalissimo per subalterna ad specialissima usq; dispositorum. Quibus verbis forma artis continetur. Nam sicut leges illæ, ipsa præcepta, eorumq; partes seorsim respiciunt & considerant: ita legitima & Methodica ordinatio naturâ prius & notius priori loco collocans, considerat præcepta conjunctim, & quod ante quod post collocandum sit dijudicat.

XLIV.

Omnes igitur illæ disciplinæ, quæ juxta hanc artis definitionem ex prærequisitis præceptis, eorumq; prædicta coordinatione accurata constant artes dicendæ sunt. Quæ vero aut contra leges præceptorum aut etiam rationem Methodi peccant, artis Nomen de jure non merentur, quicquid etiam de facto fiat.

Ornatifs. Dn. RESPONDENTI.

**P**receptore probò nihil est præstantius unquam,  
 discipulos verâ qui probitate docet.  
 Sic studiò docet hæc pubem SAVONIVS omni,  
 Stant ubi Dorptensis docta Lyceæ scholæ,  
 Auribus attentis ergò hunc audito GEORGI,  
 DOCTORI reddens præmia digna tuo  
 Perge & Pierias (nam te decet) ire per artes,  
 nominis in laudem cedit id usq; tui.

Ev. Ev. f.

GEORGIUS MANCÉLIUS  
 SS. Theol. in Acad. Dorp.  
 Prof. Ord.

F I N I S.

